

AUCTARIUM.

CONCIO I.

S. JOSEPHI GENUINUS FILIUS DAVID.

S. Joseph sanguine et virtute filius David. — I. Adeps separatus a carne, uti David fuit. — II. Fuit lucerna Israel, uti David. — III. Fuit vir secundum cor Dei, uti David. — IV. Fuit quasi angelus Dei, uti David. — V. Fuit ligni vermiculus, uti David.

THEMA.

Joseph filii David. Matth. I.

Divus Chrysostomus, oratione IV. refert familiam quamdam Spartanorum apud Thebanos fuisse nobilem, quæ hæreditario quodam jure lanceæ speciem corpori a natura inustam seu impressam gereret; qua qui carerent, pro illegitimis habebantur. Fuit ea res documento cæteris Spartanorum nobilibus, ut si vere nobiles esse vellent, majorum suorum bellicositatem ac virtutem sibi etiam impressam ostenderent: sin minus, illegitimi et spurii haberentur. Hujusmodi nobilis genere et virtute fuit S. Joseph, ab angelo filius David appellatus; non eo tantum nomine, quod a stirpe et sanguine regio David oriundus, sed quod ejusdem virtutum insignibus exornatus, adeoque et sanguinis et sanctitatis hæres esset. Ita enim de ipso scribit S. Bernardus, hom. II. super *Missus est*: « Vere de domo David, vere ex regia stirpe descendit vir iste Joseph, nobilis genere, mente nobilior, plane filius David, non degenerans a patre suo Davide: prorsus inquam filius David, non tantum carne, sed fide, sed sanctitate, sed devotione; » atque hoc voluisse Lucam evangelistam dicere, cum ait fuisse eum de domo David; verum scilicet hæredem Davidis et sanguine et virtute. Magnum certe hoc est encomium Josephi: quis enim et quantus fuerit rex David, quis est qui nesciat? Igitur nunc videamus, qua ratione similis fuerit patri filius.

Varia Davidis encomia refert celebratque Sacra Scriptura, quæ Josepho nostro perquam apte conveniunt, velut genuino ejus filio.

I. Ecclesiasticus, cap. XLVII. ait: *Quasi adeps separatus a carne, sic David a filiis Israel*. Notum est ex Levit. cap. III. adipem ex hostia pacifica a carne separari, Deoque immolari ac cremari debuisse. Dum ergo Davidem hujusmodi adipem appellat Ecclesiasticus: *Ostendit*, ait Rabanus, *eum gratia Spiritus sancti repletum, a carnalium et*

peccatorum hominum consortio in moribus et vita sequestratum esse et alienum. Totum enim se Dei obsequio addixit, non quærens unquam quæ sua sunt, sed quæ Dei. Unde Psal. CXV. ter se Dei servum appellat: *O Domine, quia ego servus tuus, ego servus tuus, et filius ancillæ tuæ*. Multo verius convenit hoc encomium S. Josepho: ipse enim, totus quantus fuit, Dei et Christi Filii ejus, hujus denique matris obsequio addictus fuit: Dei, quia velut creatori suo ad omnes ejus voluntates faciendas paratum semper se exhibuit, ut ex evangelio liquet: Filii ejus, quia totus in id incubuit, ut ipsum educaret, suo officio sustentaret, sua sollicitudine defenderet ab ira Herodis et malevolorum: matris ejus, quia eam accepit in conjugem, non ut thori consors esset, vel ex patrimonio ejus viveret; sed ut virginalem ipsius maternitatem tueretur ac custodiret, mariti quidem personam quasi thori consortem gerens (sed nequaquam exhibens) ne ipsa velut adultera a Judæis haberetur et puniretur. Itaque verissime dicere poterat: *O Domine, ego servus tuus* (Dei, inquam Patris); *ego servus tuus* (Filii tui); *et filius ancillæ tuæ*, quæ dixit: *Ecce ancilla Domini*. Huic novæ Triadi quasi novus religiosus Joseph in adipem separatam et holocaustum se devovit, ut omnes suos labores, sermones, cogitationes, curas et intentiones ei dedicaret. Neque enim in hoc statu opes, honores aut delicias querere poterat, cum sciret Christum ab his alienum fore. Magnum hoc holocaustum est (quemadmodum et adeps in hostia est pars selectissima et suavissima) Deo nimirum transcribere intellectum per fidem, voluntatem per obedientiam, memoriam, omnes sensus, curas, labores, intentiones, quemadmodum fecit Joseph. Porro adeps cremari in altari, sicque Deo offerri debuit, quod certe etiam contigit Davidi; cujus pene tota vita continuum martyrium fuit. Puer pastoritius, dum patris oves pascebat, uri gelu et æstu debuit. Assumptus in aulam Saulis urebatur ejus invidia, ita ut ab ejus ira et lancea nusquam tutus esset. Exul deinde vagabatur hinc inde per solitudines, declinans persecutorem, nunquam non insidiantem et imminentem sibi: constitutus inter hostes patii obtreccionem velut Judæus a gentilibus, et simulare insaniam debuit: rex cum esset, quid non calamitatum ferre et videre in filiis suis cogitur, dum unus alterum occidit, ipse a filio ad necem queritur, filia a fratre comprimitur?

Non absimilis patri fuit Joseph, filius David. Hic enim in primis cum suspensus animo hæret, quid accidisset sponsæ suæ, factæ gravidæ; ac si forte culpam ea incurrisset, ne eam traducere cogetur, fugam potius eligeret, et in exilio solus atque in ærumnis vitam degere cogitabat; quod sane martyrii instar est. Deinde, postquam Filium Dei in paternam curam suscepit, quid non sollicitudinis pro eo sustinuit? Fuga ejus in Ægyptum et septennalis in ea commoratio inter idololatrias et barbaros, in summa rerum inopia, quomodo non adeps Deo crematus fuit? Taceo metum Herodis in reditu; amissionem Filii in templo, cum dolore quæsiti; obtreccionem Judæorum.

II. David appellatur *lucerna Israel*. II. Reg. XXI. Sic enim ejus consilarii ad ipsum: *Non egredieris nobiscum in bellum, ne extinguas lucernam Israel*. Erat enim David populo suo viva quædam lex, et lucerna præcedens sapientia et justitia vitæque exemplo; quo extincto in tenebris ambularent et pessum irent, nihilque aliud forent quam mundus sine sole, corpus destitutum oculis. Quid non videt lucernam pauperculæ Christi familie fuisse Josephum? Erat enim ipse rector in ea domo, quæ quidem complectebatur Christum velut solem, Deiparam velut lunam: sed quia Christus velut parvulus lucem abscondit; mater ex humilitate et decencia, necnon ex reverentia erga maritum, regi voluit, non regere; unum hoc supererat, et vere conveniebat, ut Josephus imperaret, ac velut Hesperus soli et lunæ lucernam præferret. Erat autem lucerna, non sola intelligentiæ luce, qua divinitus illustratus est a conjuge quoque edoctus fuit, sed etiam vitæ sanctissimæ exemplo, adeoque viva lux et speculum omnium virtutum. Si absque eo fuisset, quid paupercula illa familia agere debuisset? Unde victum querere? Ubi securitatem invenire? Quomodo longinqua et difficillima itinera conficere? Quomodo malevolis obsistere? Erat ergo *lucerna lucens et ardens*: lucens sapientia, ardens charitate. Consilarii alique nobiles ex consortio principum sublimem acquirunt rerum plurimarum cognitionem. Moyses ex consortio sermonis Dei splendidam accepit faciem, Exod. capit. XXXIV. Quid non sapientiæ existimamus mutuasæ Sanctum Josephum ex consortio et colloquio Filii sapientissimi, necnon et Matris ejus? Si enim ruborem contrahunt qui prope ignem hærent; si odorem, qui in pharmacopolio; si candorem, qui in molendino: quomodo non cum sole et luna tamdiu hærens Josephus, cœlesti luce imbutus, imo perfusus est? Cæterum uti lucerna solet extinguï, quando sol ascendens suos

radios diffundit: ita etiam S. Josephus mortem oppellit, ut verosimilius creditur, quando Christus circa baptismum suum mundo se manifestare cœpit: tunc enim opera Josephi non amplius indigebat.

III. David appellatur *vir secundum cor Dei*, a Samuele, I. Reg. XIII. et a Sancto Paulo, Act. XIII. qui causam addere videtur, dum addit: *Qui faciet omnes voluntates meas*, quantum videlicet ad specialia mandata sibi a Deo injuncta, quæ omnia exacte perfecit, ut patet II. Reg. V. et VII. non imperfecte uti fecerat Saul: tametsi a generalibus Dei mandatis declinavit. Jam si eo non obstante dicit potuit *vir secundum cor Dei*, multo magis Joseph, qui per omnia et in omnibus Dei voluntatem fecisse jure merito censetur, cum in evangelio legamus eum omnia et singula Dei mandata exacte adimplevisse, sine exceptione, sine querela, sine omni mora. Jubetur in hodierno evangelio persistere cum conjuge prægnante, persistit: jubetur Filium nuncupare nomine Jesu, nuncupat: jubetur edito imperatoris pergere in Bethlehem et profiteri subjectionem Cæsari, pergit et profitetur: jubetur lege Moysis circumcidere et offerre Filium, circumcidit et offert: jubetur surgere e somno et fugere in Ægyptum, surgit et fugit: jubetur redire in terram Israel, redit: jubetur secedere in Galilæam, secedit: jubetur ter in anno ascendere Jerosolymam, ascendit. Nulla tergiversatio, nulla subductio, nulla mora. Quanto igitur rectius de ipso dicere poterat Deus: *Inveni virum secundum cor meum, qui faciet omnes voluntates meas!* Non placent regibus subditi aut ministri, qui ab eorum voluntate vel in minimo discedunt. Athenienses olim plectebant reos, non modo si totam legem, sed etiam si vel unam syllabam transgressi fuissent, texte Alexandro ab Alex. lib. III. cap. V. et Romani olim capite damnabant eum, qui magistratum absolventes, non statim successoribus cederent, sed per unum alterum diem retinerent, eodem auct. lib. IV. cap. VI. Si mandata sua ita observari homines volunt, quid mirum si velit Deus? Atque hinc ejus indignationem incurrit et reprobatus fuit Saul, quod non ad interfectionem, ut ei præceptum erat a Deo, deleverit Amalec, sed pinguiora reservavit; tametsi, ut aiebat, ad Dei sacrificium; quasi gratis obsequium ei præstiturus, quam si imperata faceret, I. Reg. XV. Quæ res magnum nobis addere calcar debet, ut, si placere Deo volumus, voluntatem Dei per omnia perfecte adimpleamus. Id quod inculcat, et terribili exemplo confirmat Beatus Petrus Damiani, epist. LXXII. quæ est ad archipresbyterum. « Unum est, inquit, quod mens cujusque

fidelis debet assidue solerter attendere, et intra semetipsum sollicita semper inquisitione versare: scilicet utrum placeat Deo quod egit, et an in ejus vita Deus, vel operibus delectetur; quid enim prodest, quidquid faciat homo, si hoc non placeat Deo? Sic de David dicitur: Quæsit sibi Deus virum juxta cor suum. Nam si nunc conditor non delectatur in homine; homo postmodum non poterit delectari in conditore. Unde legitur in vita patrum, qui cum falsus quidam famosus, et magni nominis solitarius propinquaret ad exitum, tartareus ad eum spiritus venit, qui tridentem igneum in manibus attulit; et ecce vox ad eum facta est: Sicut, inquit, anima ista vel una nora me in se requiescere non permisit, sic neque tu miserearis evellens eam. Tunc nequam spiritus tridentem igneum cordi morientis infixit, et animam ejus, sicut erat jussus, evulsit.»

IV. David a Thecuite illa appellatur angelus Dei, II. Reg. XIV. *Sicut enim angelus Dei, sic est dominus meus rex*, inquit: et rursus: *Sapiens, sicut habet sapientiam angelus Dei*. Dixit autem hoc, quando pro Absalonis reductione in patris gratiam, preces interposuit, commendans regem a fidelitate et constantia in præstanda promissione, deinde a sapientia. Pari modo Miphoboseth eidem dixit: *Tu autem, Domine mi rex, sicut angelus Dei es, fac quod placitum est tibi*, II. Reg. cap. XIX. commendans eum ab æquitatis amore. Merito ob has virtutes angelus vocatus est: debent enim reges esse quidam angeli custodes regnorum suorum; ideoque non solum sapientes, sed et fideles et recti æquique amantes, qualis etiam David erat. Neque solum David, sed et Joseph filius David, verus ac sincerus. Positus enim a Deo fuit velut angelus custos Deiparæ et Filii ejus. Custos in primis virginitatis Mariæ, ne pro adultera vel saltem fornicaria (cujusmodi lapidari jubentur, Deut. cap. XXII. *Si non est in quella inventa virginitas, lapidibus obruant eam, etc.*) lapidaretur: deinde familiæ in provisione victus: denique vitæ in defensione ab hostium insidiis; quinetiam famæ et honoris Christi Domini, ne si Mater ejus innupta fuisset, ipse tamquam spurius et illegitimus haberetur; quam rationem adducit S. Thom. III. p. q. XXIX. art. 1. ex quo futurum erat, ut ab incredulis Judæis multo minus reciperetur pro Messia: consentiunt ad. cum S. Thom. I. p. qu. CXIII. art. IV. ad I. Christum Dominum non habuisse angelum custodem, sed potius custodem angelorum; negari tamen non potest S. Josephum fuisse ejus custodem donec adolesceret, adeoque quoad hoc, ipsos angelos longe præcelluisse. Scimus regum

filii non dari magistros et præfectos nisi in omni doctrinæ et virtutis genere excellentissimos, ac fidelissimos, magna parentum sollicitudine, quia rari tales inveniuntur. Testis Alphonsus rex Aragonum, qui Catalaunis optimum fore censentibus, si regi eorum adhuc juvenulo septem viri ad gubernandas res publicas adjungerentur, qui Deum timerent, justitiam colerent, cupiditates tenerent sub freno, neque donis neque muneribus tangerentur; laudavit consilium ac dixit: Si hujusmodi non dico septem, sed unum aliquem mihi virum dederis, o amici, continuo illi ei regimen et regnum ipse concessero, Panormit. lib. IV. de rebus Alphons. cap. XIV. Atqui talem per omnia fuisse Josephum non est in dubium revocandum, cum utique Deus Filio suo optimum custodem deligere voluerit. Stabat Herodes velut draco ignitus (id enim significat); qualis describitur, Apoc. XII. ante mulierem sole amictam, parturientem, expectans editam prolem ad devorandum. Verum angelus iste custos in tempore subtraxit illi Christum et deportavit in Ægyptum, delusitque draconem. Jam si Tobias non satis æstimare nec remunerari se posse dicebat beneficium acceptum a ductore Raphaelo, Tob. c. XII. quid non putamus Josepho retribuere Christum pro tam fida custodia? *Qui servat fœcum*, ait Sapiens, Prov. XXVII. *comedet ex ea, et qui custos est domini sui, glorificabitur*. Lignum vitæ servavit Joseph, et custos fuit domini sui: quomodo igitur non ab eo maximopere glorificabitur in caelis? Certe cum adhuc in terra degens hoc officium gereret, ita eum Deus honorabat, ut per angelum suum alloqueretur et dirigeret; quod plus esse agnoscit S. Hieronymus, Matth. II. quam si per inspirationem tantum, uti magi, moneretur; quia rex majore honore afficit subditum, si legatum ad eum mittat, quam si epistolam ablegat. « Qui munera obtulerunt Domino, ait, consequenter responsum accipiunt, non per angelum, sed per ipsum Dominum ut meritorum Joseph privilegium demonstraretur.»

V. David, juxta aliquorum sententiam (cui favet Latina versio) appellatur, I. Reg. XIII. *Ligni vermiculus*. *David sedens in cathedra* (quod alii pro nomine proprio Jesbaam accipiunt) *sapientissimus princeps inter tres: ipse est quasi tenerimus ligni vermiculus*. Causam similitudinis hanc dat Rabanus, quia sicut vermiculus ligni tener quidem et fragilis ac parvus, fortissimum tamen lignum terebrat et consumit; sic David domi affabilis, quietus et humilis, in certamine robustum se et intolerabilem hostibus exhibebat. Quidni etiam Josephum hujusmodi vermiculum

CONCIO II.

QUA RATIONE SANCTUS JOSEPH CREVERIT IN EXIMIÆ SANCTITATEM.

I. Crevit per tribulationes. — II. Per patientiam et silentium. — III. Per promptam obedientiam. — IV. Per fidelitatem.

THEMA.

Filius accrescens Joseph, filius accrescens et decorus aspectu. Gen. XLIX.

Nomen Jesu Salvatori nostro divina dispensatione impositum esse docet angelus in modico evangelio. Idem mihi persuadeo de nomine patris ejus Joseph. Neque enim credendum absque Dei consilio hoc nomen esse sortitum, qui Christi custos, et nutritius, quasi pater erat futurus. Ergo Josephi illius patriarchæ nomen accepit, quia eidem, ut Sanctus Bernardus, homil. II. super *Missus est*, ostendit, non in paucis similis fuit. De illo pater ait: *Filius accrescens Joseph, filius accrescens*: iterata voce, phrasi Hebræa; quia vehementer crevit, et eminenter superavit fratres suos, quando e cisterna et carcere sublatus est ad principatum regni Pharaonis; unde ait: *Crescere me fecit Deus in terra paupertatis meæ*, Genesis, capite XLI. Hic etiam nonne crevit quando e paupere fabro factus Christi nutritius, jam in cælo, post sponsam super omnes sanctos (ut Suarez, tertia parte probat) Christo vicinus, appellatur ejus pater? Jam vero quam potissimum ratione uterque in tantum virum creverit, viderum.

I. Per tribulationes. Notum de Josepho illo veteri, quomodo eum pater amarit, fratres vero oderint, et mortem ei machinati sint. Interventum enim tamen Ruben et vitam ei impetravit. Missus in cisternam, iterum eripitur interventu Judæ et venditur in Ægyptum. Ibi charissimus fit domino: sed mox rursus mutatur fortuna, et falso accusatus, detruditur in carcerem: inde etiam eripitur et fit princeps in Ægypto. En, quot tribulationibus exerceri debuit, donec magnus fieret! Non aliter contigit Josepho nostro. Post desponsationem lætissimam, en tristitiam: uterum Sponsæ tumescentem; unde fugiendum sibi putat. Sed recreat illum angelus, et Filium Dei de cælo dandum ac nutriendum ei nuntiat. In Bethlehem locum non reperit in diversorio, ad stabulum divertere cogitur: sed brevi recreatur magorum adventu et muneribus. Videns puerum natum et adoratum a magis, gaudio repletur: sed mox Herodes insidiatur, et ipse fugam de nocte inire cogitur. Nuntiatur ei in Ægypto mors Herodis et

dixerim? Vermiculus in ligno dentibus laborans, victum sibi quærit: Josephus etiam in ligno velut faber lignarius operans, victum sibi suisque parabat. Quid abjectius vermiculo? Quid humilius fabro lignario? Hinc ejus vilitatem, Christo objiciunt Judæi: *Numquid hic est fabri filius?* Matth. XIII. Interim tamen robustissimus et hostium triumphator fuit. Quarum? inquires. David adhuc juvenis pastorculus tria maxime specimina fortitudinis suæ edidit: ursum, et leonem, ac denique fastuosum illum Goliathum occidit, I. Reg. XVII. Sanctus Josephus tres et in se hostes humano generi nocentissimos occidit: *concupiscentiam carnis*, seu libidinem; *concupiscentiam oculorum*, seu avaritiam; et *superbiam vitæ*. Primum, quando carnem suam voto continentiae alligavit, adeoque edomuit, ut cum virgine virgo, sine omni concupiscentiæ sensu aut motu, velut si angelus esset, conversaretur. Quis virorum ante ipsum hoc fecisse legitur? Sic ergo leonem, igne libidinis ardentem stravit. Secundum, quando in paupertate sua, habens secum et sub regimine suo ditissimum Dei Filium, qui omnis generis divitias comparare poterat, vitam toleravit; ita ut ab eo nullas sibi opes vel minimas postulare; si contemptor divitiarum avaritiam quasi turpem usum (qui melinsano amore sicut avarus nummos quærere) jugulavit. Tertium, quando ex humilitate tanta sponsa, quam factam Dei Matrem suspicabatur, se indignum reputans, timuit eam accipere: sic ergo Goliathum et superbiam vitæ stravit. Quis jam negabit Sanctum Josephum æque ac Davidem *tenerimus ligni vermiculum* fuisse, domi quidem in suos tenerum et mitem, foris vero erga demonem et pompam ejus robustum et terribilem?

Stet ergo comprobatum, quod initio diximus, Sanctum Josephum vere filium David et nomine et re fuisse, qui non modo sanguinis, sed virtutum etiam Davidicarum legitimus hæres fuerit. Hunc ergo et nos imitari contendamus, ut et ipsi veri ac sinceri filii David et simus et nominemur.

inimicorum, novo gaudio: sed reversus in terram Israel, audit Archelaum regnare in Judæa, mali corvi, malum ovum, novo timore. Sed recreatur iterum ab angelo, et jubetur ire in Galilæam et patriam civitatem, securam ab hoste. Denique, perdit filium duodennem, novo rursus dolore, sed post triduum eum reperit, recenti gaudio. Quæ omnia expendens S. Chrysost. hom. VIII. in Matth. ait: « Tum de prosperis tum ex adversis iustorum vitam admirabili varietate contexit Deus. » Bene itaque Ezechias Deum vitæ nostræ textorem facit, Isa. XXXVIII. *Præcisæ est velut a læcente via mea.* Tela enim fila non eodem omnia tendunt, sed alia recta, alia transversa sunt. Ita Deus per adversa et prospera vitam iustorum pertexit. Jacob filio suo Josepho velut omnium charissimo vestem polymitam, seu multocotilorem fecit, Gen. XXXVII. quæ variam ejus fortunam significabat, per quam excoqui et exaltari debuit. Multum ea vestis a multis pati debuit, donec in byssinam mutaretur: abstracta est puero a fratribus, intincta in sanguine hædi, monstrata parenti. In Ægypto etiam vestis ei ablata a domina, monstrata est hero ad reum agendum miserum Josephum. Sic ipse demum meruit purpuram et byssum. Ita et Josephus noster, quia justus Deoque charissimus erat, vestitus est a Deo varia tribulatione: deserere domum et suppellectilem suam debuit, ac migrare in Ægyptum. Inde iterum remeare, et quæ ibi paraverat, relinquere, perpetuus peregrinus. Quis habitabat ipsum jam in celo bysso vestitum et purpura?

II. Per patientiam et silentium, Josephus ille tentatus a domina, noluit eam accusare apud dominum, tamquam insidiatricem et calumniatricem; utique ne dissidium inter conjuges crearet, et ipsam vitæ discrimini exponeret: sed maluit ipse velut reus in carcerem compingi, licet probatæ fidei servus apud dominum. Sic enim scribit Josephus, l. II. antiq. c. III. « Josephus autem innocentiam suam Deo committens, neque se defendere curavit, neque rem, ita ut gesta erat, indicare; sed vinculorum necessitatem tacitus ferens, una spe consolabatur, nimirum potentior esse Deum his qui se vincerant, ejus providentiam mox est expertus, etc. » Ideo ei Deus gratiam interpretandi somma dedit, sicque eum non modo e carcere eripuit, sed etiam in aula regis exaltavit. Ita s. noster Joseph, cum videret gravidam sponsam, nec sciret unde id esset, noluit eam traducere apud homines, multo minus accusare apud iudices: sed maluit fugam eligere, eaque se tamquam sponsum fugitivum infamie obijcere, ut sponsæ famæ consuleret.

Quamobrem ab angelo in somno edoceri meruit et recreari læto nuntio. Fuit hæc heroica patientia simul et dilectio, notanda præsertim conjugibus, ut unus alterius magis quam proprio bono consulat et honori, uti fecit Jacob, pater Josephi, qui obvians fratri Esau, in feno sibi, non tam suæ quam uxorum salutem timuit: *Valde cum timeo, inquit, ne forte veniens percutiat matrem cum filiis,* Gen. XXXII.

III. Per promptam obedientiam. Hanc exhibuit in primis Joseph ille, qui missus a patre suo ad fratres, sibi licet infestos (Gen. XXXVII.) mox obediens: *Præsto sum,* ait; viaque satis longa atque incognita, de saltu in saltum errabundus perrexit; nec subito regressus domum est, ex fastidio itineris vel desperatione, quando eos non mox invenit. Pari modo Joseph noster totus dependebat ob ore et imperio Dei. Jussus manere cum conjugibus, statim mansit: surgere nocte et fugere in Ægyptum, ad barbaros, gentiles, Judæorum inimicos: « Non ait: Incerta ista res est, ac prorsus ambigua: tu paulo ante dicebas, quia salvabit populum suum, et nunc seipsum quidem non potest de periculo liberare, » (ait Chrysostomus, hom. III. in Matth.) sed longissimo et fastidioso itinere fugit. Ibi jussus hæere, donec moneretur, hæsit: inde redire, rediit: in Galilæam deflectere, deflexit. Nihil excipit, non contradicit, non queritur de amissione domus et suppellectilis. Quare sicut ille Joseph, ob meritum obedientiæ omnia superavit pericula, ita etiam noster iste.

Dices: Si Joseph ille patriarcha opposuisset se parentis mandato, non incidisset in insidias fratrum, non fuisset venditus in Ægyptum, non coniectus triennio in carcerem. Respondeo: Verum est hoc; sed nec fuisset umquam evehctus in principatum, nec salvasset domum suam, uti nec Ægyptum. Itaque per obedientiam et depressionem exaltatus est; sicut qui in altum saltare vult, prius in imum se deprimat necesse est. Quando ergo magni esse volumus, prius per obedientiam erga Ecclesiam et superiores nos humiliemus.

IV. Per fidelitatem, qua et res et uxorem Petipharis, deinde aulam atque opes Pharaonis servavit in primis Joseph ille, dispensavit, administravit. Ideo uti Putiphari dilectus fuit, sic et Pharaoni, et uterque ei omnia sua commisit. Talis et Josephus noster, cui Deus Filium suum cum Matre ejus servandum atque alendum contulit: quod plane signum apertissimum est, fidissimum custodem fuisse. Unde de eo S. Bernard. serm. II. super *Missus est*, ait: *Fidelis servus et prudens, quem constituit Dominus Matris suæ*

solatium, suæ carnis nutritium. Servus plane; quia uti servus potius servit Christo et Matri ejus, quam ut pater et conjux. Videtur ergo ipsum connotare id Cant. VII. *Venter tuus (Maria) sicut acervus tritici, vallatus liliis.* Ventrem enim sponsæ illibatam servavit Joseph noster sua castitate, cui per votum se alligavit; (ideo lilia appinguntur ejus manibus.) De Christo vero Cant. VI. rectissime etiam dictum: *Qui pascitur inter lilia*, hoc est, inter Mariam et Josephum. Triticum Joseph servavit Pharaoni pro Ægypto et vicinis terris, regis in horreis: Joseph sua industria panem cælestem in utero Virginis pro toto mundo. Quare sicut Pharaeo Josepho omnia commisit, et quicumque aliquid peterent, ad Josephum omnes remisit velut ad plenissimæ potestatis dispensatorem: *Ite ad Joseph et quidquid ipse vobis dixerit, facite*, Genes. XLI. sic non dubitandum S. Josephum, in celo exaltatum, accepisse plenissimam potestatem dispertiendi nobis dona cælestia: ut bene dicere possit cum Josepho jam exaltato: *Crescere me fecit Deus in terra pauperatis meæ.* Quid enim putatis videre fabrum lignarium inter summi cæli principes? Quantum hoc incrementum! Quomodo ergo non audiet Mater Dei sponsum suum? Quomodo non Matrem Filium? Liceat enim simili modo argumentari, quo Themistocles Atheniensium dux filium suum, quem mater in deliciis habebat, plurimum omnium Græcorum posse colligebat hac ratione: *Athenienses dominantur Græcis, ego Atheniensibus dominor, mihi mater, matri filius: ergo filius Græcis*, Plut. in Græcor. apophtheg. Christus dominatur orbi: Mater (suo quodam jure) Filio: Joseph Matri: ergo et ipse (suo modo) orbi. Quinimo Joseph etiam quadam ratione imperare poterat Christo, quia etsi non ab ipso, natus est tamen ipsi ex conjugibus, supra naturæ vires, de Spiritu sancto: *Quod autem nascitur in agro meo, meum est*, ait jurisconsultus. Quare non dissimili modo, sicut audiet Filium in celo Matrem sic audiet et Patrem. Unde Joan. Gerson, in sua Josephina: « Quanta (inquit) fiducia Joseph! Quanta in eo vis impetrandi! Quia dum vir uxorem, dum pater filium orat, velut imperium reputatur. » Vulgo dicitur: *Amicus, qui rogat, jubet: qui jubet, cogit.* Josephus non amicus tantum, sed pater plus quam adoptivus Christi fuit: cum ergo rogabit Filium, quasi jubebit; si jubebit, quasi coget. Quare si qua in necessitate constituti estis, o fideles; si in fame, belli periculo, peste, persecutione: *Ite ad Joseph, et quidquid ille dixerit, quidquid a Christo petierit, utique id fiet.* Sancta virgo Theresia, non ita pridem inter sanctos relata asserebat, se mira et

magna, imo omnia, quæ habebat, per ejus intercessionem obtinuisse; quodque amplius est, ab ipsa Dei Matre ad Josephum remissa fuit, quasi per ipsius interventum nihil non impetratura. Quam ob causam illius cultum in sacro suo ordine, passim extractis ad ejus honorem templis, mirifice instauravit, auxit, promovit, ut in ejus vita libro I. capite XV. et alibi vider eest.

CONCIO III.

NOBILITUM SYMBOLA ET MONITA, APPLICATA ETIAM VERIS CHRISTIANIS.

I. Cor monet ut sint cordati. — II. Annulus aureus monet, ut ingenuis et honestis operibus vacent. — III. Aurea bulla admonens fragilitatis humanæ. — IV. Lunulæ in calcæis monentes ut curam proximorum habeant. — V. Torques aureus, monile submissionis et obedientiæ.

THEMA.

Joseph Filii David, noli timere. Matth. I.

Non sine magna ratione compellat angelus, Josephum nomine *filii David*. Rem etenim magnam persuadere ei voluit, ut nimirum conjugem, uterum ferentem, nec tamen a se cognitam, constanter retineret, et nequaquam, ut jam moliebatur, derelinqueret. Quo igitur argumento rem tam difficilem angelus persuasit? Non alio, nisi insinuando ei ingentem nobilitatem, tractam e familia David: *Joseph fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam*, quasi dicat: Memento nobilitatis et regii sanguinis tui, ut ne inuras tuo nomini, et conjugii tuæ tam præcelsæ Deoque adeo charæ, hæc ignominie notam, ut eam deseras. Habent ergo hic nobiles in primis stimulum virtutis, ut ne ab æquo et recto discedant, memores sanguinis sui a nobilibus tracti majoribus. Habent etiam suo modo cæteri Christiani, qui et ipsi in baptismo Dei Filii, adeoque veri nobiles effecti sunt, in Christo non inferiores illis, qui sanguine sunt nobiles: Ita enim S. Chrysost. hom. XX. in Matth. *Cunctis*, inquit, *unam atque eandem nobilitatem donavit Deus, cum dignatus est omnium pater vocari:* et S. August. lib. ult. de serm. Domini in monte: « Admonentur hic divites (inquit) vel genere nobiles secundum sæculum; cum Christiani facti fuerint, non superbire adversus pauperes et ignobiles, quoniam simul dicunt Deo: Pater noster; quod non possunt vere ac pie dicere, nisi se fratres esse cognoscant. » Domus enim David Ecclesia universa est: quotquot ergo veri ac pii Christiani sunt, ii